

Chronol. Vol. 1.

EXERCITATIO PRIMA
CONTINENS

BREVES POSITIO-
NES HISTORICO-CHRO-
NOLOGICAS, TUM EX BIBLICA,
tùm profana historia à Mundi conditu,
ad Egressum Filiorum Israel
ex Ægypto.

*Quam publico literariae Reip. bono ad Academicam
velitationem publicè proponit*

ADMODUM REVERENDUS CLARISSIMUS
& Excellentissimus

DN. JOHANNES BEHM,
S.S. Theol. Doct. ejusdemq; Profefs. primarius,
Aulæ Electoralis Brandenburgico-Prutenicæ Concio-
nator, & Assessor Consistorii Sambiens. nec non
hujus & Regiomont. Ministerii
Senior.

Respondente

MICHAELE NERESIO Memelensi

*In Audit. Major. ad diem Julii
horis matutinis.*

Prælo REUSNERIANO,
ANNO M. DC. XL.

Chronol.
651,72

EXERCITATIO PRIMA
CONTINENS

BREVES POSITIO-
NES HISTORICO-CHRO-
NOLOGICAS. TUM EX BIBLICA,
tum ex Historiis a Mundi conditi-
one factis. Partem I. hinc
et Partem II.

Quaestiones hinc sunt et hinc
de antiquitate, hinc de temporibus

NOVORVM REPERENDVM CAUSAS
et hinc de hinc

DR. JOHANNIS BEHN
S. Theol. Doct. hinc de hinc
in hinc de hinc
hinc de hinc
hinc de hinc

MOHAMEDI ET RESISIO MEMORIAM
in hinc de hinc
hinc de hinc

PRO REPERENDVM
hinc de hinc



Thefes Biblico-Histo- rico Chronologicae,

Thesis I.



Oncinnior, & probabilior eorum est sententia, qui statuunt Mundum à Deo Creatore Autumni tempore conditum.

II. Secundus mensis, quò dilu-
vium cæpit, Gen: 7, 11. est Secundus
à Tisri, non Abib seu Nisan. Secun-
dus autem à Tisri est Marcheschvan seu Marsuane ut
à Josepho vocatur lib. 1. c. 4. Diluvium ergo autumnii
tempore cæpit.

III. Patriarchæ ante & post diluviani una cum
antiquissimis populis in Oriente & Ægypto antè Mo-
sen anni initium in Autumno fixerunt.

IV. Principium anni à Vere demum cæpit post
egressum filiorum Israël ex Ægypto, idq; ex singulari
Dei ordinatione Exod. 12, 2. c. 13, 4. ob Ecclesiasticas
festivitates, quarum prima Pascha fuit.

V. Ab eo tempore Iudæi duplex anni principi-
um habuerunt & à vere & ab Autumno. Ille annus vo-
cari potest Ecclesiasticus, hic Civilis. Hujus rei ma-
nifesta sunt indicia in Mosaicis libris. Exod. c. 23, 16.
c. 34, 22. in annis item Sabbathicis & Jobeleis ab autu-
mno incipientibus Levit. 25, 9. Hinc festum clangoris

tubarum die primo septimi mensis Levit. 23, 24. quo clangore nullus alius anni mensis indicebatur.

VI. Patriarchæ ante- & post-diluviani habuerunt Anni formam ferè solarem 365. dierum, quantum ex Historia Diluvii constat, de modo vero Intercalationis difficile est aliquid certi statuere. Probabiliter colligimus spatio 120. annorum 30. dies, sive Mensem intercalatum esse.

VII. Cain suam Sororem in Uxorem duxit necessitate tùm urgente.

VIII. Videtur & ante diluvium politicus Dominatus seu regimen fuisse in familia præsertim Cainitica, hinc *Nephilim* & *Gibborim* antè diluvium Genes. 6, 4. exstructiones item civitatum Genes. 4, 17. & effossio metallorum.

IX. Ritus sacrificiorum uti est vetustissimus ita Deum Autorem habet Gen. 3, 21. non Legem Naturæ uti Pontificii volunt.

X. Externum signum placentiæ sacrificii Abelis & displicentiæ sacrificii Caini, divina fuit Sacrificii Abelis inflammatio Genes. 4. Hinc sacer ignis ab Antediluvianis Patriarchis asservatus.

XI. Gen. 3, 15. Prima continetur Evangelica de Christo promissio, ubi per serpentem antiquus serpens, Diabolus Apoc. 12. per semen mulieris Messias intelligendus.

XII. Juliani anni forma licet à Julio demum Cæsare ad politicam administrationem ordinata sit, quia tamen mere solaris est in anteriora tempora ad principium usq; mundi extendi & applicari potest.

XIII. Ad Julianum annum omnes diversissimorum populorum per totum terrarum orbem anni forma.

ma.

ma Chronologicè reduci possunt, imò debent. Hinc apparet imperatoria Majestas Anni Iuliani.

XIV Mathusalem Patriarcha *μαθησαλειου* & paulò ante Diluvium mortuus est. Contrà eos qui annos hujus Patriarchæ ad annos 14. ultrà diluvium erroneè extendunt.

XV. Annus diluvii est à mundi conditu 1656. absolutus, 1657. currens contra Lansbergium, Petalium, alios.

XVI. Arphaxad à Patriarcha Semo natus est bienniò post diluvium Genes. 11, 10. non excluso, sed incluso simul diluvii anno.

XVII. Numeri annorum Patriarcharum ante & post diluvianorum in Græcis Bibliis per injuriam temporum ab Hellenistis Judæis in Ægyptiorum gratiam dubio procul vitiati, ad Mosaicam in Ebræis fontibus contentam numerationem, corrigendi sunt.

XVIII. Nullum dubium, Deum Noæ sacrificium, quod post diluvium Deo obtulit Gen. 8, 20. 21. in flammâsse.

XIX. Filii Semi eò ordine nati sunt, quò à Mose enumerantur. Sem ergo primogenitus, Cham medius, Japheth minimus, secus quam alii opinantur.

XX. A Semo descendunt populi Orientales in Majore Asia, Persæ, Bactriani, Indi, & alii per totam majorem Asiam dispersi, imò nullum dubium Semi posteris & in Americam trajecisse.

XXI. A Chamo descendunt populi Meridionales, Arabes, Ægyptii, Æthiopes, Mauritanii & alii qui Africam incoluerunt.

XXII. A Japheth originem sumunt nonnulli populi (1) Asiæ Majoris circa septentrionem; Medi,

3 Scythæ, Moscovitæ. (2) Asiæ minoris. (3) Ex qua Japheti posterii transfetarunt in Europam, Græciam, Sarmatiam, Italiam, Germaniam, Scandiam &c.

2011 XXIII. Noæ verba Genes. 9, 27. Dilatet Deus Japheth & habitet in tentoriis Sem, promissionem continent de vocatione Gentium ad veræ Ecclesiæ confociationem.

31 XXIV. Nimrod, Filius Cusch, nepos Chami māsit in tractu Mesopotamiensi inter duo flumina Euphratem & Tygrim, fundavitq; Regnum Assiriaco-Babylonicum & aliquot civitates quemadmodum Moses meminit Genes. 10, 10. seqq.

23 XXV. Nimrod fuit fortis Venator coràm Domino non Ferarum, sed hominum, quos Tyrannicè venatus est.

24 XXVI. Cainan, quem Græca Biblia medium sistunt inter Arphaxad & Salah non est in Ebræis fontibus Gen. 11, 12. & seq. 1. Chron. 1, 18. 24. Veris ergo Patriarchis annumerari non poterit. Et Abraham X. est à Semo, non XI. apud Josephum lib. 1. Antiquit. c. 7.

20 XXVII. In Lucam hic Cainan irrepsit cap. 3, 35. ex Græcis Bibliis scriptorum incuria, post B. Hieronymi demum tempora cum hunc Cainan alto silentiò involvat, ut & Josephus Hellenista.

21 XXVIII. Montes Ararat, in quibus Arca decrescentibus aquis, dirigente divina Providentiâ, impacta perstitit Genes. 8, 4. est Mons in Armenia Majore, quæ imminet Assyriæ, & Babylonæ, Nominatur ab aliis Mons Caucasus, à Jonathano montes Cardu, à Curtio montes Cordæi, ab Epiphaniò lib. 1. contra Hæreses, Mons Lubar, à Jos. lib. 1. c. 4. ἀποβατήριον, seu ἀποβατήριος ob egressum Noæ ex arca.

XXIX. Ter.

XXIX. Terra Schinear in qua Nimrod Civitates fundavit, est maximam partem Regio duorum fluminum vel Mesopotamia, ubi Chaldæa & Assyria, in qua est mons Mesopotamiæ imminēs nomine Singaras, & ab eo dictum oppidū Singara. Terra est ob planitiem, fertilitatem & Babylonicum bitumen celebratissima. Hinc multi volunt Paradysum in hac regione interamni situm fuisse.

XXX. Confusio linguarum, quæ circa Babylonicæ Turris exstructionem divinitus in pœnam & dispersionem infligebatur, sub initium N. T. in magnū per Dei beneficium conversum est, ubi S. Dei spiritus linguarum diversitatem gentes sub unitatem fidei congregavit. Act. 2.

XXXI. Ab Eber Patriarcha descendunt Ebræi. in hac Familia Originalis lingua singulari Dei providentiâ mansit incorrupta. Hinc Abrahamus nominatur Ebræus Genes 14, 13. Et Joseph. c. 39, 14.

XXXII. Variæ dynastiæ Ægyptiorum apud Africanum ex Manethone sacerdote Ægyptiaco omninò coarctandæ, & annorum quantitas ad Mensis vel Trimestris spatium redigenda est. Aliàs sequeretur hoc absurdum illas Dynastias cæpisse ultra 1700. annos antè mundi conditum, quod est ridiculum.

XXXIII. Principium Assyriaco-Babylonicæ Regni locandum est in primum centenarium à Diluvio, non secundū, multò minùs tertium. Nimrod enim Nepos Chami in vegeta ætate hoc Regnum fundavit. Atqui Nimrod dubiò procul natus anno qs. 30. post diluvium.

XXXIV. Belus primus Assyriorum Rex in exotica Historia sequitur Nimrodum, qui in primo post dilu-

diluvium **Contenarjo** Babylonicum regnum fundare
cæpit, vixit dubio pocul post foundationem illius re-
gni ultra 100. annos, si Eusebianam supputationem se-
quamur.

XXXV. Vox *Astur* Genes. 10, 11. à nonnullis su-
mitur propriè pro persona Assur, filii Semi; à non-
nullis localiter, quasi Nimrod ex Babylonico tractu in
Assyriam ad Tygrin processerit. Hæc posterior sen-
tentia veritati magis est consentanea. Mosen enim
Assuris Filii Semi mentionem *αασουρα* hic inferere
voluisse nullò urgente argumento probatur.

XXXVI. Eusebius primum Abrahami conne-
ctit cum 43. Nini secundi Regis Assyriaco - Babylonici
verùm nullum connexionis fundamentum profert.
Nos Epocham Chaldæorum secuti opinamur Abraha-
mum natum sub Aralio sexto Babyloniorum Rege.

XXXVII. Regnum Sicyoniorum omnium pri-
mum est in Græcia. Nomen habet à Sicyone 19. Re-
ge, cæpit antè Abrahami tempora. Propterea Euse-
bius primum Abrahami cum 22. Europis secundi Si-
cyoniorum Regis connectit.

XXXVIII. Et Germanorum regnum suâ gau-
det Antiquitate. Gomer enim & Aschenaz Japheti
Filius & Nepos fundatores sunt & Germanorum po-
pulorum. Hinc *Ascanius* & *Ascania*.

XXXIX. Abraham natus est annò Parentis
Tharæ 70. non 130. ut nonnulli volunt.

XL. Verba Stephani Act. 7, 4. Deus transtulit
Abrahamum in Terram Canaan *μετα το α ποθαιεν τον παλαιο*
αυτο) sunt crux fixa omnibus interpretibus, propterea
Scaliger iudicium suspendendum monet, donec veniat
Elias

5.

Elias aliquis, qui nodum non tam scindat, quam solvat.

XLI. Ex Josua cap. 24. v. 2. 3. apparet, Parentem Abrahami Tharam cum familiâ imò & ipsum Abrahamum in Ur Chaldæorum Idololatram fuisse. Ex mera ergo & indebita misericordia ex paterna Idololatrica domo divinitus evocatus est.

XLII. Egressum Tharæ & Familiæ ex Ur Chaldæorum præcessit divina vocatio; quam Moses per *ἰστέγων* indicat cap. 12, 1 cap. 11, 33. Tres namq; primi versus cap. 12. individuô nexu cum tribus ultimis cap. 11. cohærent.

XLIII. Vocula Ergo *vav* præfixa voci *Amar* causaliter explicanda est. Moses enim motricem causam indicare voluit, quæ Patriarcham Thara moverit, ut cum Familia ex Ur Chaldæorum Patria sibi charissima exierit. *Dixerat enim Jehova Abrahamo (scil. in Ur Chaldæorum) exi è terra tua, & à cognatione tuâ, in eam terram quam monstrabo tibi.*

XLIV. Et hoc modò Stephanus Act. 7, 2. 3. 4. Mosaica verba illustrat: *Deus ille gloriae visus est Patri nostro Abrahamo, cum esset in Mesopotamia, (id est in terra Chaldæorum v. 4. Tota namq; regio interamnâ inter Euphratem & Tigrin Mesopotamiæ nomine venit, testibus Topographis) priusquam habitaret Cherris vel Charan, & dixit ei &c.*

XLV. Hanc divinam gratuitamq; vocationem Abraham dubio procul parenti Tharæ & familiæ manifestavit. Thara Ergò in divinam hanc vocationem consentiens una cum Abrahamo Patriâ egressus est ex Ur Chaldæorum. Est autem *Ur* civitas nomen in Chaldæa, aliò nomine *Ura* cpud Plinium lib. 5. cap. 24. & in

B

Geo-

Geographicis tabulis. Nomen habet à Luce, Sole scilicet
vel igni, quos Chaldæi cum Persis divino cultu profes-
cuti sunt, testibus Historicis.

XLVI. Terminus egressus *ad quem* in prima pro-
fectione est *Haran* vel *Charan* Gr. *Χαρίαν* Civitas in Me-
sopotamiæ tractu, qui Syriæ fuit vicinior. Civitas est
clade M. Crassi. & Romani militis, à Parthis cæsi, no-
bilis. Divinitus autem hic M. Crassus punitus est ob
publicam vim vel spolium Hierosolymitano templo
illatum. Abstulit enim ex Templo ultra decem millia
Talentorum Josepho Teste lib. 14. c. 2.

XLVII. Quamdiu Abraham in Charan com-
moratus sit, Moses non aperuit. Id ex ejus verbis pro-
babiliter colligitur, quod per annos aliquot (per quin-
quennium circiter, ut nonnullis placet) in Charan
cum Familiâ vixerit. Testatur enim Moses cap. 11, 31.
quod in Charan *confederint* seu *habitârint*, & cap. 12, 5.
vel 2. scribit: Abrahamum cum Lotho Charane
egressum in Terram Canaan, cum universis facultati-
bus suis quas comparaverant, & animabus quas fece-
rant vel acquisiverant Charane. Errant ergo ii, qui pro-
fectionem Abrahami ex Ur Chaldæorum in Charan;
& ex Charan in Canaan in unum eundemq; annum
referunt, id quod Mosaicis verbis contrariatur.

XLVIII. Moses certum Abrahamæ annum 75. ex-
primens, quò Charane egressus est, id intendit, ab hac
singulari profectione in Canaan, & mox in Ægyptum,
ordiendum esse magnum illum numerum 430. anno-
rum commorationis Israëlitarum in Ægypto à Mose
definitum Exod. 12, 40. Suffragatur Apostolus, qui
430. hosce annos inchoat à prima promissione Abra-
hæ

hæ facta, (quam habemus statim in primo Abrahami
in terram promissionis ingressu Genes. 12.) terminat
in solenni Legis promulgatione, facta in monte Sina.
Galat. 3, 17. mense tertio anni primi egressus Filio-
rum Israel ex Ægypto Exod. 19. & 20.

XLIX. Ex Mose firmiter probari non potest,
Saram Abrahami conjugem esse Iiscam filiam Hara-
nis Genes. 11, 29. Ex Abrahami verbis Genes. 20, 12.
(*Reverà Soror mea est filia Patris mei, non autem filia matris
meae*) id colligimus, fuisse Tharæ Filiam, vel ex altera
Conjuge progenitam, vel in Filiam adoptatam.

L. Lex de prohibitione graduum Consanguini-
tatis antè Mosen publicè non fuit promulgata. Pa-
triarchas erg. antè- & post- diluvianos obstringere non
potuit *Ubi namq; nulla lex ibi nulla est prævaricatio* Rom.
4, 15. cap. 5, 13. simile quid in Caino habemus. Nam &
is dubio procul suam sororem duxit.

LI. Beneficiò magni numeri 430. annorum ha-
bemus intervallum à migratione Abrahæ ex Charan
in terram Canaan ad descensum Jacobi Patriarchæ to-
tiusq; Familiæ in Ægyptum ob urgentem famem. A.
primo adventu Abrahæ in Canaan anni sunt 25, à 75.
Abrahæ ad ejusdem centesimum, quò Jsaac natus.
Genes. 12, 4. cap. 21, 5. A nato Jsaaco ad natum Jaco-
bum anni 60. Genes. 25, 26. Jacob cum familia Ægy-
ptum ingressus est annò ætatis 130. Genes. 47, 9. Hi
tres numeri intervallum faciunt 215 annorum.

LII. Simile intervallum est à descensu Jacobi
Patriarchæ in Ægyptum ad egressum filiorum Israël
ex Ægypto teste Josepho lib. 2. c. 6. Ecclesiasticis Pa-
tribus, & omnibus melioris notæ Chronologis. Hoc

intervallum quidem in Mose expresse non est definitum, ex Mose tamen hunc in modum eruitur. Cum Jacob cum familia in Ægyptum veniebat, Joseph. erat 39. annorum Tricesimò namq; ætatis anno Josephi Pharaoni sistitur Genes. 41, 46. Additis septem annis fertilitatis & duobus sterilibus, fiunt triginta novè anni Josephi vers. 48, 53, 54. Anno namq; Secundo famis, Jacobus in Ægyptum venit Genes. 45, 6. Joseph vixit 110. annis Genes. 50, 26. Ergò ab adventu Jacobi in Ægyptum ad mortem Josephi decurrerunt anni 71. A nato Mose ad Exodum anni 80. Exod. 7, 7. summa 151. anni. Atqui debebant esse 215. Hinc colligimus intervallum à morte Josephi ad Nat. Mosis esse 64. annorum, quod per consequentiam ex Mose elicimus cum Josepho, tota Ecclesiastica Antiquitate, omnibusq; præstantissimis Chronologis, tum veteribus, tum recentioribus.

LIII. Ex omnibus Mosaicæ Historiæ circumstantiis probabiliter colligimus, Abrahamum anno 130. ætatis suæ, anno 30. Isaaci circiter ex Canaan in Charan ad suos consanguineos denuo profectum esse, ut suo filio jam Viro, de Coniuge prospiceret ex familia suorum consanguineorum, præsertim cum per consanguineos ipsi relatum sit Bethuelem Filium Nahoris Fratris Abrahami genuisse *Filiam Rebeccam* Gen. 22, 20 seq. quam Isaac annò quadragesimò ætatis sibi matrimonio junxit. Genes. 24, 67. Cap. 25, 20. quinquenniò post mortem Tharæ, quò tempore Abraham verè sibi stabilem in terra promissionis sedem fixit, Stephanò teste Act. 7.

LIV. Iobum aliqui volunt ex familia Nahoris
Fra-

7,

Fratris Abrahami oriundum esse. Habuit enim Nahor duos Filios *Uitz* & *Butz*, Genes. 22, 21. Verum probabilior est eorum sententia, qui Iobum opinantur oriundum ex familia *Edomea* & *Jobab*. cujus mentio fit Gen. 36, 33. per abbreviationem esse *Jobum*. Est autem verisimile posteros Patriarcharum, *Ismaelitas*, *Keturien- ses*, *Moabitas*, *Hammonitas*, *Nachoritas*, *Edomæos*, ut vicini- nos populos, per connubia familiaritatem inter se con- traxisse. Id quod ex amicis Iobi ad oculos patet. U- nus enim fuit ex posteris Abrahami, alter ex posteris Nachoris, alii ex posteris Esavi.

L V. *Hutz* - Nomen est *αελύσημον* 1. est nomen proprium Filii *Aram* Nepotis *Semi* Genes. 10, 23. à quo populi inhabitantes *Trachonitidem*. 2. Nomen pro- prium primogeniti *Nahor* Fratris *Abrahæ* Gen. 22, 21. 3. *Nomen Regionis*, è qua *Job* oriundus fuit. cap. 1, 1. Hinc *Filia* *Edom* dicitur habitasse in terra *Hutz*. *Thren.* 4, 21.

LVI. *Iobus* vixit antè egressum Filiorum *Israël* ex *Ægypto*, quod probatur 1. ex *vita Longævitate*, vi- xit enim ultra 200. annos c. 42, 16. 2. *Ex Sacrificiorum loco*. Post latam namq; Legem nemini licuit alibi quàm coràm *arca* vel *Tabernaculo* *Dei* sacrificare sine singu- lari mandato. *Iobus* verò alibi sacrificavit, cap. 1, 5. idem fecere *Iob* & ejus amici. cap. 42, 8. 9.

L VII. *Iacobi* Patriarchæ Filii & Nepotes spa- tiò 215. annorum in *Ægypto* sese ad aliquot centena millia sine omni miraculo multiplicare potuerunt, accedente præsertim divinâ benedictione.

L VIII. *Pharao* *Ægypti* Rex, cujus tempore *Io- seph* in Regis aula ad summos honores erectus est, &
Iaco-

Jacobus Patriarcha cum familia in Ægyptum venit, fuit unus ex 17. Dynastia.

Hunc secuti sunt Reges Diospolitarum. 1. *Amos*, per annos 25. Hujus tempore Jacob Patriarcha moritur, & transportatur in terram Canaan, & ad Avi Patrisq; sui monumenta sepelitur. Genes. 50, 13. 2. *Chabros*, per annos tredecim. 3. *Amenophis* per annos 24. Hujus tempore Josephus in Ægypto moritur annò ætatis 110. Gen. 50. 4. *Amerfis* per annos 22. 5. *Misphris* per annos 13. 6. *Misphragmuthosis* per annos 26. Hujus tempore Aaron & Moses nati sunt. 7. *Thuth. Mosi* per annos 9. 8. *Amenophis* per annos 31. *Orus* per annos 39. Hic in rubro mari submersus est, tempore egressus Israelitarum ex Ægypto.

LIX. Iosephi venditio in Ægyptum, & ejus exaltatio in Regno Ægyptiaco magnum nobis exhibet exemplum occultæ & admirandæ divinæ directionis omnium humanarum actionum, malarum etiam. Verum est illud Apostolicum: *His qui diligunt Deum πάντα συνεργεί τις αἰαδ'ν.* Rom. 8, 28. Agnovit hoc ipse Ioseph in suis ad Fratres verbis: *Vos cogitaveratis contra me malum, sed Deus cogitavit illud in bonum convertere.* Genes. 50, 20.

LX. *Cum duplicantur lateres venit Moses.* DEUS enim *adjutor est in oportunitate.* Psal. 9, 10. & ubi *auxilium humanum deficit, ibi divinum incipit.*





*Ad Præstantissimum, Literatissimum, Dn. Respon-
dentem, Fautorem & amicum suum
colendum.*

Historiæ seriem, priscosq; evolvere fontes
Temporis, haud levis est artis, & in-
genii.) (cissim

Magna etenim moles scriptorum, & magna vi-
lis, quâ rerum ordo, nobilitasq; labat.

Hæc inter sese doctæ rationis amussi

Conciliare, sapit femina ductu polo.

Quo te etiam genitum probat hic discursus, in
auras.

Doctoremq; aures, qui modò progreditur.
Maestè novo incæpto, res & sic asserere priscas,
Quò te patronum secula seva probent.

Ἡς εὐνοίας

ἐν scrib.

Elias Schedius, Cadâ-Bojus,
P. Cor. & S. S. L. L. Stud.

1711
1712

In P. Schredius, Lib. 1. Cap. 1. §. 1.
de P. Schredius, Lib. 1. Cap. 1. §. 1.
de P. Schredius, Lib. 1. Cap. 1. §. 1.

Hic incipit de doctrina
Concordie, sicut tenet
Quo te enim gerimus propter
doctrinam, quibusque
Magis enim propter doctrinam
Hic incipit de doctrina
Concordie, sicut tenet
Quo te enim gerimus propter
doctrinam, quibusque

Doctrinamque, quibusque
Magis enim propter doctrinam
Quo te enim gerimus propter
doctrinam, quibusque

de P. Schredius
de P. Schredius

Eliaz Schredius, Cadabrojanus,
P. Cor. & S. L. I. S. 1.